

locasse; quod si evenisset adhuc Pyrausta castimoniam non lassisset, sed magis heroicam reddidisset, quia plus collato pede cum hoste certasset.

Quidquid sit de hac re, sive unus, vel alter modus cubandi dicatur, semper heroicum in Pyraustana prudentia, & castimonia demonstratur; nam semper novo genere pugnandi contra incontinentiam Pyrausta pugnavit, etenim extra thalamum cubando juxta illam cubabat, & sic quoque proximum habuit motivum violandi factum de castitate propositum.

Augur heroicum in prudentia & castimonia Pyraustana per adversitates quas maximas passus est a parentibus puellarum, quae sibi nupserunt; & per id sua quoque fortitudo, & constantia erigit ad heroicum, nam iniuriis, contumeliis impetitus, omnia aequanimiter tolleravit, & respondendo semper modeste, promissis etiam etiam conabatur feroces animos emollire; per quae patientiae, & modestiae in virtutibus demonstravit heroicum.

Sed praeter ceteris in castimonia Pyraustana fulget heroicum, ex fine, ob quem ad ineunda conjugia motus fuit hic bellator, & milles egregius. Ideo illa duo contraxit, ut bis, non semel Sanctum Joseph imitaretur; & per hoc Pyraustae prudentia transit ad Christianum heroicum, nam etiam haec prudentia pro fine immediato respexit Matrimonium Mariae cum Joseph; tamen ad Christum & Deum ultimatate tendit; cum qui vis advertat ex matrimonio illo Deiparae Christum Deum, & hominem resultasse vices Josephi Spiritu Sancto supplente. Heroes alii in Christiano Caelo fulgentes inveniunt quidem conjugia, in quibus castitatis proposito, vel voto quoque se obstrinxerunt; sed solus Pyrausta fuit ille, qui hanc supereminenter conditionem adiecit; solus Pyrausta cum proposito, non cum voto se illigavit; & hoc, quia nihil faciente libertate transgrediendi impune propositum, dum non est transgressus, beatitudinem promissam Ecclesiastici 31. ei, qui potuit transgredi, & non est transgressus, sibi sortitus, & gloriosius vindicavit.

Elucet etiam heroicum Pyraustae prudentiae, quia non se inermem, sed pluribus vallarum experimentis, in quibus advertit nunquam sibi Divina auxilia defuisse, se dedit tanto certamini; & rursus, quia non adolescentiae aetate in deteriora incitante, sed senili gravitate aggressus est duo conjugia, & in utroque tenacissimus fuit sui sancti propositi, ut comprobavit eventus.

Hoc opus insignae Pyraustae fuit hominis quidem fidelis; fuit multiplex, quia in multiplici virtutum materia; fuit quoque supra aliorum communem operandi modum: fuit etiam, ob finem supernaturalem, & ideo ex his quae dixi, multa habet, quae Christianum heroicum integrant, vel constituunt. Sed unum, videtur deficere; & illud unum est, ut tale opus sit ex Divino dono procedens; & ideo, ut hoc probem:

Admoneo in homine de divinis auxiliis, & donis sibi actualiter in existentibus nullam dari posse certitudinem, quae sit vel fidei, vel scientiae; quo tamen nihil obstante potest de iisdem certitudo aliqua moralis haberi; ex quidem si sit prudentia Christiana communis, huius in Pyraustae signa sunt evidenter; nam prompte, faciliter, ac delectabiliter ad finem debitum & supernaturalem motivo direxit media singularia consultando de illis, iudicando, atque precipiendo juxta legem, seu moralem scientiam; & totum patet eum executum fuisse ex propositione dubii, secundum quam resolvit difficultatem; in ea enim habetur

Pyraustam a Deo fuisse praeventum; & rursus dicitur fuisse amore, fide, & pietate maxima erga Deum. Cum vero contraxit conjugia de eo dicitur: (prudenter perpendens non esse bonum hominem esse solum); per quod satis ostenditur ex motivo revelato in Sacra Scriptura, & supernaturali eum ad matrimonia processisse. Alia quoque exprimitur ibidem, per quae indicatur Pyraustam, semper ad Deum, & Divina auxilia respexisse; atque ideo indubium est Pyraustam ex illuminatione supernaturali operatum fuisse; ita ut plenissime adimpleverit illud Apostoli ad Coloss. 3. *Omne quodcumque feceritis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite*, & ecce in Pyrausta extitit prudentia Christiana.

Nunc in hac Prudentia Christiana signa heroici sunt assignanda; huius signa a me duo statuantur. Primum est consulere, iudicare, precipere materiam virtutis, quae in difficultate multum superet, excedatque communem, & ecce noster Pyrausta conjungendo cum proposito castitatis bina conjugia difficillimam, & fere intentam anteaggressus est materiam castitatis: rursus imitatio Matrimonii Divi Joseph cum Sponsa Deipara fuit finis nimis distans in altitudine, & singularia finibus proximis aliorum hominum, qui in castitate vixerunt.

Alterum signum heroici, quem tradunt aliqui, est ut prudentia Christiana attingat heroicam superetque communem, aliam promptitudinem, & facilitatem in consultando, iudicando, atque precipiendo habere non potest, quam ut statim absque longo discursu dicitur quid in aliquo agendum, sive monastico, sive aeternico, sive politico ordine sit agendum, utendo mediis efficacioribus, & potioribus; & id debet ducere ortum primo ex dono scientiae, quo agibilia moralia certo sciuntur: secundo ex dono consilii, quo singulare, ut illis conforme dicitur, & ex Dei instinctu procedit.

Totum hoc probat heroica Christi prudentia; hic enim cogitatur non indigebat in operatione quarumcumque virtutum, & ideo Luc. 2. habetur: *Mirabantur super prudentia, & responsis ejus: probant ibidem istud idem ex illo Matth. 10. Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini*. Et denique probant evidentissimis exemplis veteris Testamenti; nam Joseph ille filius Jacob sine ulla mora interpretatus est somnia Pharaonis; & sic quoque Daniel celeriter explicavit tot obscurissima, quae in suo libro narrantur. Omitto Moysem, Josue, Gedeonem, Sampsonem, Saulem, & David; nam etiam Balaam ethnico, dicitur Dominus occurrisse, & tali occurru illa mirabilia prophetavit.

Quod maxime facit ad rem praesentem, in novo Testamento aptissimum est exemplum de Beatissima Virgine, quae ut communiter defenditur, & tenetur, voto Virginitatis adstricta contraxit matrimonium, quod consummatura non erat. Certum est eam vi humani discursus confectare non potuisse, nisi ex Dei dono scientiae, & instinctu quoque divinae ad illum consensum fuisset adducta. Sic deinde solum freti Divinis illapsibus, & auxiliis nulla praevia mora, vel studio operati sunt Apostoli, & tot agmina Martyrum, atque Sanctorum. At hic modus operandi celerissime sine studio, humanoque labore proculdubio existimandus est in nostro Pyrausta; nam hic puer pascendis gregibus, adolescens deputatus est agriculturae; & quomodo ovibus additus, & terrae intellectum suum potuisset erigere ad culmen tantae prudentiae, ut firmissime sciret non repugnare matrimonio cum virginitatis proposito, nisi Spiritu

tu affante divino fuisset edoctus; imo puto eodem Spiritu illuminante, & erudiente forsitan scivisse in hac conjunctione castitatis cum matrimonio futuros quosdam, qui illum non approbarent; & ideo non votum emisit, sed fecit propositum non absolutum, sed conditione restrictum; ut sic sui hostes facilius confutarentur.

Denique per haec, quae dixi, nedom in Pyrausta probatur heroicum in prudentia, sed etiam heroicum in castitate; quia quale est dictamen prudentiae, talis etiam est actus, vel habitus sequens, si tali dictamini est conformis. Quare si prudentia Pyraustana fuit heroica, castitas quoque conformata illi dictamini fuit heroica.

Per istud idem Christianum heroicum refellitur etiam quiddam de imprudentia, & de peccandi periculo in Pyrausta Adversarii cavillantur; nam si heroicum tunc est in virtute, cum operans aggreditur obiectum in altitudine nimis distans a virtutis communis obiecto, vel protinus sine ulla mora consilii ex Dei speciali instinctu ad idem tendit obiectum; quomodo in Pyrausta imprudentia aliqua nota fingenda est ex hoc capite, quia scilicet aggressus est obiectum adeo superexcellens a nullo fere, aut paucissimis ante tentatum, conjungere scilicet cum castitate conjugium? aliter si ex capite magne difficultatis debuisset a proposito suo desistere, tunc, quia in heroico attingendo semper maxima est difficultas, a nullo, & nunquam tentandum esset heroicum contra duo praedicata a Christo consilia: *Estote perfecti sicut Pater & Luca 6. Estote misericordes sicut Pater*. Et quomodo consultationis defectu statuenda est imprudentia in Pyrausta, si heroicum, ut dixi, debet repente a Deo procedere sine ulla mora consilii?

Et si dicatur ideo Pyraustam debuisset hoc superarduum dimittere intentatum, quia certus non erat ex aliqua revelatione divina Deum esse, qui ad tantum opus impelleret: pariter de divina illuminatione, & inspiratione erat incertus.

At esto multi Heroes in Sacra Scriptura narrentur impulsus a divina revelatione ad molliendum heroicum; tamen multi sunt etiam, qui solo interno Dei spiritu urgente ad heroicum se contulere; & tamen isti nulla certitudine fidei, vel scientiae certi erant se a Spiritu Dei fuisse permotos ad aggrediendum heroicum: eque neutram certitudinem habuere de motione interna an esset Dei auxilium, vel diabolica intigatio; cum

prima Jo. c. 4. sic habeatur: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint; quoniam multi pseudoprophetae exierunt in Mundum*. Quo tamen nihil obstante intrepidum heroicum sunt aggressi. Imo nec qui per revelationem externam ad heroicum sunt incitati, aliquam certitudinem, vel fidei, vel scientiae habuerunt, quae certi essent revelationem illam esse Divinam, non vero a Diabolo fuisse confictam; ait enim Apost. 2. Cor. c. 11. *Ipse Satanas se transfiguravit in Angelum lucis; & id facit Satanas, ut postea tali larva deceptis sua mendacia pro Divinis revelationibus valeat facilius venditare*. Et revera Deus sic permittente non pauci per hujusmodi relationes, & insigationes factas a Satana, & immissas miserabiliter decepti sunt, & habitus in ludibrio.

Inter innumera exemplum magnum est illud Polycronii Sacerdotis, & Monachi Monothelitae, qui suam demeritiam clare nimis aperuit in Synodo Sexta; cum enim Daemon ei per ostenta falsissima illuisset, tentavit mortuum facere redivivum ad veritatem sectae suae firmandam. Cum ventum esset ad opus coram magno populo, & multis Patribus Sancti Concilii, in aures cadaveris quandam chartam immisit, & in eisdem insuffuravit pluries pluriesque; sed tandem fassus est a se mortuum excitari non posse; & sic ex mirabili heroe reddidit se ridiculum.

Inde fit, ut obiectum, finis, & circumstantiae actus sint illa, quae valeant moralem tantum parere certitudinem de vero, atque sincero revelationum Dei, & divinorum auxiliorum. His adduntur securitas, perturbationum absentia, dulcedo quadam, hilaritas ingens, & inopia; & tandem feliciter securus eventus; & ultimum hoc, quod certissimum est in Pyrausta, demonstrat priora, & similia alia in suo aggressu non defuisse. Nosco me argumenta plurima omisisse, non neglexisse, quia illa latius, & nimis discrete promovit Auditor exhibitum mihi libelli; quaedam etiam addiderunt Patres octo facultatis Parisiensis Theologi. Haec, & illa approbo, veneror, & admiror.

Sic resolvebam

Frater Nicolaus Buico de Spinazzola stans pro Scoti Doctrina, & in Universitate Patavina Theologus primarius.

SUFFRAGIUM THEOLOGICUM.

TAmetsi in ea facti specie, quae Sacrae Theologiae Patav. Collegio proposita est, istud unum potissime queritur: An scilicet Vir religiosus, Pyrausta dictus, prope sexagenarius male se gesserit, & an potius heroicam virtutis actus exereverit duo illa ineundo sibi succedentia connubia, & quidem proposito, ut virginitatem egregie hactenus custoditam in matrimonio quoque servaret, quam reapse servavit; *Serry Tam. VI.*

tamen cum alia nonnulla sint intermixta, quae nisi prius expendantur, ambigua fortasse, & non satis expedita fuerit ad questionem responso: opere pretium nos facturos putamus, si haec ipsa breviter in antecessum expendimus, ut facilius inde, atque certius hac de re iudicium profertur.

Tria itaque animadvertenda ducimus. Primum quidem recte distinguemus & initorum Connubiorum

rum rationem, & servatam in utrisque virginitatem: ut in primo quari possit, an bene, ac prudenter se gesserit, in altero vero an heroicae virtutis specimen dederit. De his enim hoc in negotio haud promiscue inquirendum: quandoquidem virtus est, non tamen heroica, matrimonium cum proposito servandae virginitatis inire: At heroica virtus est, a licita in matrimonio copula, servato debitae aequitatis iure, temperare.

Alterum vero quod animadverti debet, illud est; Pyrausta scilicet propositum virginitatis servandae sub conditione fuisse conceptum; apposita enim est haec particula *si possibile foret*. Immo vero non simplicem intendit Pyrausta virginitatem, sed perfectiorem, quae in statu matrimonii ob majorem luctum, tanquam aurum in fornace probaretur, quod liquet ex eo, quod excellens Connubium Deiparae cum Iosepho sibi constituerit imitandum.

Tertium tandem animadvertendum dignum censemus; nempe ubi queritur: An in utriusque matrimonii contractu bene Pyrausta; recteque se gesserit, duplicem esse distinguendam rectitudinis rationem, & in ordine scilicet ad se ipsum, & respectu puellarum, quibus nupsit; nam potuit respectu sui probe se gerere, respectu vero conjugum peccare, si utramque debito iure fraudasset. Quemadmodum & contratio potuit etiam de conjugii iuribus cum Sponsis cavisse, defectum nihilominus in se admisisse: Si Virginitatis votum, E. G., vel absolutum propositum conceperit; neque certus ex parte conjugum de continentiae custodia fuisset.

His animadvertendis, quid in causa Pyraustae censendum sit partite aperiemus. Et primo quidem, Pyraustam in utroque matrimonio respectu suspensus neque temere, neque imprudenter se gessisse dicimus. Non temere quidem; nam is temere operatur, proprie sumpta temeritate, ut a Theologis sumitur, qui sciens, ac volens peccandi se periculo exponit; cui non se commisit Pyrausta, tum quia licita est matrimonialis copula, tum quia ab usu licitae copulae abstinere voto minime se obtrinxerat: ac proinde violandae virginitatis periculo expositus, notam temeritatis minime incurrit. Neque imprudens dicendus est, nam imprudentia certe quidem esset, media aut inepta, aut contraria fini praestituto adsumere, essetque imprudens dicendus Pyrausta, si nulla urgente necessitate contrahendi matrimonium, duplex ipse matrimonium, seu medium conservandae virginitatis elegisset. At Pyrausta non ordinavit matrimonium, ut diximus, veluti medium ad virginitatem servandam, sed veluti perfectioris virginitatis finem, concepit ejusdem servandae propositum, non absolutum quidem, sed conditionatum duntaxat: quo fit, ut imprudentiae notam effugerit. Neque inde imprudens dicendus, quod, itante virginitatis proposito haecenus egregie servato, contractis connubiis sese periculo commiserit a virginali statu decedendi, propterea quia hujusmodi recessus a bono praestituto inconstantiam redoleat, quae D. Thomae 2. q. 9. 53. art. 5. ad imprudentiam pertinere videtur. Nam cum Pyrausta neque votum, neque absolutum virginitatis propositum emisserit, contracto, etiam cum ordine, & affectu ad carnalem copulam matrimonio, minime inconstans censendus erat. D. enim Thomas laudato loco docet, eam inconstantiam ad imprudentiam pertinere, quae recessum a bono proposito definito importat; & rationem addit, quia recessus a bono proposito non consummatur nisi per defectum rationis, quae fallitur in hoc, quod reputat id, quod recte acceptaverat: quod quidem est

a Pyrausta alienum, in quo nullum absolutum de virginitate propositum fuisse, ex facti narratione constat apertissime.

Verum, quoniam haec a communi temeritatis, & imprudentiae nota Pyraustam liberent, fatendum tamen est in matrimonii contrahendis defectum aliquem, & imperfectionem ipsam incurrisse, quandoquidem sese periculo exposuit a majore perfectione recedendi, ac propterea a perfectione aliquo pacto defecisse. Nam cum certum sit, Matrimonii statum esse virginali imperfectiorem, si Pyrausta per matrimonium discrimini amittendae virginitatis, quam incorrupte coluerat, sese commisit sciens, & volens, periculo recedendi a prioris perfectione item sese commisit. In defectum igitur incurrit. Neque enim securus erat de utriusque Sponsae voluntate, quae nunquam debitum exposcerent; quibus aliquando petentibus, petere autem poterant, si reddidisset, virginitatis iacturam fecisset. Immo neque securus erat de propria voluntate, neque propter aetatem devexam, nam robustissimus dicitur; neque propter servatam haecenus illibatam continentiam; quia poterat facile Sponsae contubernio ita affici, ut majorem carnis tribulationem sentiret. Quamquam enim longo anteaclae vitae experimento didicisset, praesens Dei auxilium in tuenda virginitate haecenus sibi adhaesisse; non propterea tamen certus unquam fuisset tantum Dei auxilium sibi adfuturum, quantum ut abstineret a licita copula fuisset necessarium. Major enim in viro, etiam probatae virtutis, gratia requiritur, ut abstineat se a licitis, quam ab illicitis actibus extra matrimonium, a quibus timoratae Conscientiae vehementius abhorrent. Quare communis est Theologorum sententia, uberiori requiri Gratiam ad vitanda omnia venialia, quam mortalia, atque uberrimam inde agnoscunt Theologi omnes Gratiam in Deipara Virgine; quae nulla vel venialis culpa foedata fuit. Multo igitur major requiritur Gratia, ut quis ex sine supernaturali abstineat actu per se licito, in iis maxime circumstantiis, in quibus ad actum illum naturae infirmitate vehementius allici potest quotidiano Sponsae contubernio; quam requiritur, ut nunquam contra continentiae virtutem peccet. Hinc fit, ut si quis omnes illicitas carnis voluptates effugiat, non propterea actus heroicae virtutis perfecisse censetur, nisi singularis, & excellens quadam circumstantia interfuerit: virtutis tamen heroicae specimen ille dedisse dicatur, qui Dei, & virtutis amore a licita in Matrimonio copula, servatis conjugii iuribus abstinetur. Unde igitur certe spondere sibi poterat Pyrausta tantam, adeoque excellentem Gratiam consecuturum?

Accedit quod Pyrausta ita Matrimonium duplex contraxit, ut absolutum virginitatis propositum non haberet: paratus ergo erat humanae imbecillitati morem gerere, si vel ex sua, vel ex conjugum infirmitate virginitatem, quam proposuerat, custodire in matrimonio nequaquam valuisset. Quae vero necessitas Pyraustam impulit, ut qui florentibus annis virginitatis amantissimus fuerat, fenex factus matrimonium sponte selegit, ut virgo quidem in eo permaneret, non absolute tamen, sed usque dum naturae legem in membris suis continere potuisset? Dum enim in matrimonio habuit conditionatum abstinentiam a copula conjugali propositum, probe noverat se in matrimonio eum vitam statum amplecti, in quo absolute de sua, deque Sponsarum continentia securus non erat. Quo posito; quis unquam dixerit Pyraustam a perfectionis proposito non defecisse, cum lubens, ac volens ulla urgente necessitate in amittendae virginitatis discrimen se commisit?

jecisset? Neque dicas, Pyraustam in casu a perfectione non recessisse, quia utrumque matrimonium majoris perfectionis causa contraxit, ut nempe imitaretur Deiparae, & D. Iosephi Connubium: nam hoc pacto cum non levem vanitatis suspicionem dedisset; quandoquidem praesumpserit, aut praesumpserit videretur, eam se gratiam habiturum, quae Deiparae, & Iosepho divinitus collata fuerat: tum etiam imitandum sibi proposuisset Sanctissimam Dei Matrem in eo, quod ad perfectionem non attinet, Matrimonium enim cum virginitate comparatum, in quo subest copula ineunda periculum, perfectionem non continet, cum status conjugalis ipsa sit virginitate imperfectior: & Deipara, quam Patres, & Theologi votum virginitatis emisisse docent, dum matrimonium divina ordinatione contraxit, certa erat de Virginitate servanda, Deo per interiorum illustrationem Virginitatis mentem confirmante, qui de proposito Iosephi Virginem certiore fecit, ne de violando castitatis voto timeret; nam si stante voto sine hac divina certitudine contraxisset, utique contra voti religionem peccavisset. Haec vero a Deo ordinata sunt sapientissime ad excellentissimum finem humanae redemptionis, medio hoc ineffabili matrimonio perficiendum.

Igitur cum Pyrausta, neque ex divina dispositione hujusmodi matrimonium ad sublimem aliquem finem ordinante contraxisset, neque virginitatis servandae certitudinem habuisset, in aliquam certe imperfectionem incurrisse censendus erit, celebratis duobus conjugii, quibus periculo a priori perfectione recedendi sese exposuit. Constat itaque ex dictis non quidem in eo, quod nupsit temere, & imprudenter egisse, sed in eo, quod periculo recedendi a perfectione sese commisit. Quare hac duntaxat ratione si spectatur utrumque matrimonium respectu Pyraustae, ob periculum recedendi a priori perfectione, ipsum non bene se gessisse omnino dicimus; propterea quia, quisquis divino praeventus auxilio perfectiori operam dedit, si ab ea quoquo modo defecit, aut ab eadem descendendi periculo se exponat, recte operari dici non potest.

Restat nunc ut videamus, An respectu utriusque sponsae recte sese gesserit Pyrausta, quod secundo loco expendendum posuimus, nam ex iis, quae hac de re dicemus, plane constabit etiam quid sit dicendum de tertio, an scilicet servata virginitate in utroque connubio, quam quidem reapse servavit, factus virtutis heroicae Pyrausta perfectior.

Et sane ad Sponsas quod attinet, ex facti specie non colligitur viri propositum illis innotuisse, easque in illud consensisse: ut propterea dubium sit, utrum reapse sive expresse sive tacite Sponsae consenserint. Quare proculdubio suspicioni locus est, Pyraustam contra Justitiam peccasse circa Matrimonii iura Sponsas fraudando. Ut enim si certo constaret Sponsas in viro propositum nequaquam consensisse, liquido etiam pateret Pyraustam peccavisse, secus vero si consensissent: ita pariter quia dubitatur, num cum viro scienter conspiraverint, merito dubitatur an peccaverint contra Justitiam. Nemo enim est qui ignoret, nisi gravi crimine non posse invicem fraudare Conjuges Apost. testimonio 1. Corinth. cap. 7. Inquirendum igitur ad rem nostram diligentius, an in Pyrausta Sponsis fuerit hujusmodi consensus sive expresse, sive tacitus ac praesumptus. Expressum non fuisse, patet ex facti narratione, in qua nusquam reperitur Pyraustam Sponsis de suo proposito indicium fecisse, aut consentitae consuevisse, sed tantum legitur Pyraustam discutere consuevisse, sibi in votis esse talem nancisci?

Serry Tom. VI.

fci Conjugem, cum qua in casto, & virginali connubio vivere liceret, oblatamque ab paupere, honestoque viro filiam eidem in Sponsam aetate tenellam, dote pauperem, virtutum decore divitem, eo sane sine ut Pyrausta maritus Sponsam a mundi periculis, atque a pudoris iactura ob pauperem eriperet.

Hic animadvertendum, propositum Pyraustae puellae Parenti, ut ex facto liquet, innotuisse quidem, puellae non item. At verisimile non est Patrem filiae indicasse: immo longe verisimilius occultasse, ne nuptiis contrahendis impedimento esset. Nihil enim quicquam inops Pater magis optabat, quam ut filiam ad hujusmodi nuptias alliceret, ut sine dote filiam collocaret, quae res & sibi & filiae emolumento esse poterat, quod si filiae manifestasset, ejus forsitan consentum in nuptiis retardasset, ejus forsitan consentum in nuptiis retardasset, praesertim spectata viri aetate ad senectutem devexa, quae non jucundi, & suavis matrimonii speciem, sed molestam, & insuavem praese tulerat. Non expresse igitur utriusque Sponsae consensus in propositum Pyraustae adfuit, ut ex facto collegimus, cujus scriptor ideo dubitanter hac de re loquitur, quia de expresse consensu nihil dicere potuit, dixisset autem si praevisisset. An autem interpretativus consensus praesertiterit, non est nostrum, sed Ecclesiae determinare, nondum enim Sacra Congregatio Rituum legitimum hujus facti examen instituit, & de facti veritate pronunciauit. Quae vero profertur a nonnullis hujus interpretativi consensus conjectura inde ducta, quod utraque sponsa siluerit, quod nunquam debitum petiit, aut petere indicavit, mera conjectura est, quae ad rem firmam non sufficit. Silentium enim illud aut verecundiam, aut modestiam obtinet, quae ut plurimum in honestis puellis obtinet, praesertim in virginibus tenellae aetatis innocentissimis moribus praeditis. Experientia enim plerumque compertum est, puellas hujusmodi saepe numero vi pudoris se minime velite uti jure suo per silentium indicare, quamquam alias aegre ferant jure suo fraudari; gravique idcirco marore affecta morbos contrahant gravissimos, ac propemodum insanabiles. Qui utique pudor adeo in feminis honestis est attendendus, ut D. Th. in 1v. Sent. dist. 38. quaest. 1. art. 2. quaestiuicula secunda, ad quartum, loquens de eo qui per continentiae votum simplex, ut vocant, amisit jus petendi debitum in Matrimonio, si extante voto illud contraxit, & tantum reddere potest, hac habet: *Hoc autem intelligendum si ve mulier petat expresse, sive interpretative, ut quando mulier verecunda est* tunc enim ut occurrat uxoris verecundiae, tenetur per D. Thomam offerre, id est ad interpretativam uxoris petitionem debitum reddere. Si ergo per D. Thomam, qui per votum jus petendi debitum amisit, tamen ubi mulier verecunda sit, & vir praesumat eam tacite petere, reddere tenetur, est expresse non petit; argumentum omnino certum est, silentium uxoris non petentis non fundare consensus praesumptionem, praecipue in Virgine: & multo fortius, quia D. Thomas de uxore loquitur, jam a viro suo corrupta, nam ponit casum de viro jam uxori obligato *per carnalem copulam praecedentem*. Quod si verecundia tanta esse potest in Coniuge jam a viro corrupta; quantum prudenter credere possumus in duabus virginibus Pyraustae Sponsis fuisse verecundiam, quae vix pubertatis annum ingressa virtutibus, optimisque moribus ornata dicuntur, erga virum provectae longius aetatis, quem veluti Patrem suspiciebant; earum quippe alteram, quam ab infantia in Sacro puellarum Gynaecio ad aetatem usque nuptiarum aluerat, veluti filiam semper

X 3 habuit.

habuit, & utraque cum Pyrausta communem thorum non habuisse dicitur. Igitur maximam, quae puellis inerat, verecundiam Silentium tribendum petendae copulae videtur, quam caeteroquin forsitan exoptabant. Feminae enim dum nubunt, copulam matrimonialem potissimum spectant; in quam consentire videntur. Stat igitur in feminis praesumptio communis petendae copulae aliquando, etsi non tempore determinato, si expresse non petant. Itaque debitum erat in Pyrausta, ut vel ante initum matrimonium cum Sponsis de servanda virginitate conveniret, vel saltem post celebratum, & ratum, indicato Sponsis Proposito, eorumdem consensum exploraret. Primo modo recte & iustitiae, & perfectioni consuluisse, servataque inde virginitate, heroicae virtutis actum perfecisset. Quod si propositum suum post initum duntaxat matrimonium sponsis significasset, potuisset quidem gradum debitae iustitiae tenere, si consensissent, certus inde factus iura matrimonii uxores relaxare: Sed cum in initu connubia non explorato ante uxorum consensu, periculo recedendi a perfectione proposita sese exposuisset, quia contingere poterat sponfas indicato eisdem viri proposito post initum matrimonium, in id minime fuisse consensuras.

Neque vero sit qui putet, irritum futurum fuisse matrimonium Pyraustae, si in contractu consensum uxorum cum pacto servandae virginitatis expressisset; nam huiusmodi pactum praevium matrimonii validitatem minime vitiat. Id docent Canonistae passim, & ratio suadet, & Theologi, qui putant huiusmodi pactum matrimonii substantiam destruere; explicandi quidem sunt non de pacto concomitante, sed de conditione suspensiva consensus, quae donec impletur matrimonium ratum non facit, ut mox ostendimus.

Nostri Pronunciati veritatem firman, quae sequuntur, rationum momenta, & primum quidem. Ad matrimonii validitatem minime est necessarius ordo ad copulam, ut fufe docet, S. August. de Bono Coniugali contra Iovin. cap. 3. lib. 2. de Conf. Evang. cap. 1. & lib. primo de nuptiis & concupiscentia cap. 11. Cuius doctrina nititur Apostoli auctoritati 1. Corinth. 7. vers. 5. dicentis "Nolite fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipsum, ne tenet vos satanas propter incontinentiam vestram" ubi Apostolus cum revertimini in idipsum concedat propter incontinentiam; Idemque se dicere profiteatur secundum indulgentiam, non secundum Imperium; quod ad tempus admittit, etiam in perpetuum admittere videtur. Unde S. August. laudato cap. 11. lib. primi de Nuptiis & concupiscentia perpetuam continentiam collegit hisce verbis "Quibus placuit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiae in perpetuum continere, abstine, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur: immo firmius erit, quo magis ea pacta secum inserit, quae charius, concordiusque servanda sunt, non voluptariis Corporis nexibus, sed voluntariis affectibus animorum" Atque adeo pactum de servanda castitate contractui adiectum contra matrimonii substantiam esse non potest; alias illicitum, & nefas esset Coniugibus in matrimonio sese mutuo ad castitatem servandam obligare, quod nemo certe quidem affirmaverit. Eae namque conditiones, quas ratio matrimonio honeste superaddere licet, matrimonio si praemittantur, ipsum irritum reddere nequeunt. Et sane rem ita se habere illud argumento esse potest, quod statuit Alex. III. in Capite commissum de Spons. & Matrim. Interrogatus enim ab eo, qui Sponsalia iuramenti religione firmaverat, & deinde perfectioris vitae in

Monasterio suscipienda propositum sibi constituerat; Respondet Pontifex, iuramenti religionem ab eo implendam esse per matrimonium ratum, eoque celebrato Monasterium ingredi, ut propositi compos fieret suavit. Profecto in allato casu, cum matrimonium celebrasset sine illo ad copulam ordine, immo quo copulam penitus excluderet, si ordo ad copulam de substantia esset matrimonii, iam irritum, nullumque, matrimonium illud fuisset, atque adeo Pontifex in sua decretali Epistola ad matrimonium nullum, & illusorium celebrandum interrogantem induxisset: & pari etiam modo Juramentum, ob cuius religionem matrimonium illud propter sponsalia iuramento firmata implendum erat, vinculum fuisset iniquitatis; quod utrumque dicere est per absurdum. Igitur si matrimonium irritum ille non facit, qui eo animo contrahit, ut statim post ratum matrimonium, ab eodem, invito etiam altero conjugum, recedat, & Monasterium ingrediatur; cur irritum Matrimonium ii reddent, qui casto mentis affectu de virginitate custodienda in matrimonio pacificatur? Quamquam enim ad matrimonium, prout contractus rationem habet, requiritur mutua conjugatorum proprii corporis traditio, haec tamen per solum dominium, non vero per dominii usum necessario peragitur, quo sane pacto Theologi Beatissimae Virginis Matrimonium verum fuisse affirmant, etsi antequam Iosephi uxor fieret, virginitatem vovit, certa quae facta ex divina revelatione fuit Iosephum Sponsum Virginitatis custodienda propositum emisisset. Semel enim admisso ad valorem matrimonii traditionem tantum dominii in corpora, non usus necessario requiri; ac stante etiam pacto contractui adiecto de virginitate servanda dominium in corpore tradi quidem, interdicti autem solum usum, hac doctrina, quae verissima est, consequens fit, matrimonium etiam cum tali pacto contractum fore firmum, ac ratum. Immo vero multo minus contra matrimonii substantiam facere videtur continentiae pactum, quam votum; quandoquidem a pacto possunt sine crimine per mutuum consensum Coniuges recedere, ut etiam tradito dominio licite utantur; a voto autem sine peccato resilire non possunt. Nos autem minime latet hac de re scrupulum quibusdam ex eo fuisse infectum, quod in Cap. Si Conditiones de Condition. appof. legatur: Contra substantiam Matrimonii esse conditionem ad hunc modum appositam, *Contrabo tecum si bonum Prolii vitaveris*: Sed textus ille nequaquam propositae veritati refragatur; propterea quia Gregorius IX. eo loco expresse loquitur de eo, qui turpiter adeo uxori commiserit velit, ut certe generationem impediatur, aut alio inhonesto modo filiorum procreationem exturbet. Desunt enim locus ille Decretalium apparet ex Can. Solet, & Can. Aliquando 22. qu. 2., ut ibidem etiam notat Glossographus: quibus in locis Gratianus testimonia Augustini profert, quae aperte veritatem a nobis assertam insinuant. Et quidem in laudato Canone Solet, August. ex cap. 5. de Bono Coniugali haec habet "Solet etiam queri cum masculum & Femina, nec ille maritus, nec illa uxor alterius, sibi met non Filiorum procreandorum, sed propter incontinentiam solius concubitus causa copulantur, ea fide media, ut nec ille cum altera, nec illa cum altero id faciat, utrum nuptiae sint vocande. Et potest quidem fortasse non absurde hoc appellari Connubium, si usque ad mortem alicujus eorum id inter eos placuerit; & proli generationem quamvis non ea causa conjuncti sint, non tamen vitaverint, sed nolint sibi nasci filios, vel etiam opere aliquo malo agant ne nascantur. Alter vero Canon depromptus est ex Augustino lib. primo de Nu-

Nuptiis & Concupisc. cap. xv., ubi haec leguntur "Aliquando eo usque pervenit haec libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, ut & sterilitatis venena procuret, & si nihil valuerit conceptus foetus aliquando intra viscera exinguat, ac fundat . . . Provisus si ambo tales sunt, conjuges non sunt. Et si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potius convenerunt" Quae cum ita se habeant; si qui sunt Theologi, qui docent pactum, aut conditionem adiectam castitatis in matrimonio servandae matrimonium irritum reddere, propterea quia tale pactum contra Matrimonii substantiam videtur; si explicari omnino debent de ea conditione, quae consensum suspendit in matrimonio, eumque retardat, usque dum sit impleta conditio, quod & nos verum esse fatemur, nam si quis matrimonium contractum hac conditione celebrat, *Contrabo tecum, si nunquam nos inter copula sequetur* jam consensum absolutum in Matrimonium nullus esset, nisi impleta conditione, quae adeo cum copula posset semper sequi, usque dum pacifcentes in vivis sunt, nunquam suum haberet effectum consensus, nec matrimonium utroque vivente conjugum verum esset; quia nunquam impleteret haec negans conditio, quo sane sensu proculdubio loquitur D. Thomas qui pro contraria sententia laudatur. Etenim in IV. Sent. dist. 30. Quae. 2. act. 1. ad 2. & 3. haec habet "Ad primum dicendum quod B. Virgo antequam contraheret cum Ioseph fuit certificata divinitus quod Ioseph in simili proposito erat, & ideo non se commisit periculo nubens, nec tamen propter hoc aliquid veritati deperit; quia illud propositum non fuit conditionaliter in consensu expositum. Ubi vero pactum consensum sequitur, ut sunt pacta dotalia, & id genus alia, quae potius onera contractui adiecta dicenda sunt; ea neque impediunt, neque irritum contractum reddent, si utriusque contrahentis consensus accesserit. Quare si Pyrausta in utroque Matrimonio Sponsis indicasset, se cum iisdem connubia eo pacto, seu obligatione inire, ut a copula perpetuo abstinere, atque in id virgines illae consensissent, matrimonium utrum-

que ratum utique fuisset, & servata in matrimonio virginitate, ex hoc capite heroicae virtutis actus exercuisset, quod eum minime fecisse constat; constat item ex supradictis, ob periculum recedendi a proposito perfectiori, cui se exposuit, defectum incurrisse: ob praesumptionem majoris Gratiae, non adhibitis adhibendis, nimiam in se confidentiam habuisse; ac tandem ob non exploratum antea Sponsarum consensum suspicionem labis iniustitiae erga sponfas a se depellere non posse. Quae quidem omnia in causa sunt, ut non immerito Pyraustam, nec bene se gessisse, nec actum heroicae virtutis exhibuisse iudicemus. Quae vero in contrarium circumferuntur argumenta, ex eo potissimum ducta, quod in libello, quo huius venerabilis Viri gesta continentur; multa dicuntur ab illo patrata miracula, multaque editae operationes virtutum: nihil profecto ad rem faciunt. Virtutes enim, & miracula istiusmodi, quae eo libro narrantur, cum nondum ab Ecclesia probata fuerint, quem exitum habitura sint, ignoramus propterea quia experimento novimus, ex bene multis cum miraculis, tum actibus heroicarum virtutum Sacrae Rituum Congregationi ad examen propositis in causis Canonizationum aliquando vel nulla, vel admodum pauca fuisse approbata. Praeterea, ut demus haec ita non esse, & vera deinceps a Congregationum Rituum admittenda, sufficient fortasse ad sanctitatem Viri Religiositatem: minime vero sufficient, ad heroicae virtutis rationem omnibus, & singulis actibus communicandam; dicere enim possemus si quod maculae hoc in negotio contraxit, Virum Sanctum vel suis operibus eluisse: non enim omnes & singulas Sanctorum Virorum operationes in heroica virtute positae esse, necesse est. Nam peccasse quandoque viros quosdam Sanctissimos, quos modo colimus, insciabatur nullus. Quod modo in quaestione versatur illud est; an hoc in facto virtutis heroicae actum Pyrausta exercuerit, quod nos minime affirmandum esse putamus ratione non una eaque, ut nobis videtur, satis aperta, ut hoc in scripto quantum satis, ostendimus. Salvo &c.